



## S E C T I O II.

## IVS VNIONIS TERRITORII WVRTEMBERGICI.

## M E M B R V M I.

## DE NATVRA ET INDOLE HVIVS VNIONIS.

## §. I.

SATIS jam, ut confidimus, enarrata *Wurtembergicæ VNIONIS historia*, & fatis ejusdem abunde perlustratis, pergimus ad *alterum tractationis nostræ, Caput*, in quo nobis jus Unionis territorii Wurtembergici exponendum erit. *Unionem igitur territoriorum* in eo quam maxime consistere putamus, quod sit ista conditio aliqujus regionis, qua territorium tanquam corpus aliquod unum atque integrum consideratur, ita, ut in plures partes, a se invicem distinctas, separari nequeat. a) Generalis hæc est Unionis territoriorum descriptio, ut scilicet deinceps applicari possit ad specialio rem hujus vel illius regionis conditionem, qua VNIO ejusdem efficitur atque *integritas*. Aliunde sc. accedere possunt determinationes novæ huic conditioni, quæ specialio rem hanc efficiunt notionem, eamque huic vel illi territorio *propriam* faciunt. b)

N

Va-

- a) Conspirat cum exhibita hac à nobis *unionis* descriptione, divisio illa specialium in Germania rerum publicarum, quam tradit IO. NICOL. HERTIVS in *Diss. de Specialibus Rom. Germ. Imperii Rebus publicis earumque, variis nominibus & figuris* in *Opusc. Tomo II. pag. 107. §. 6.* ubi eas in *dividuas & individuas* dispescit, eamque per exempla auctores & documenta demonstrat & explicat. Collimat huc quoque illa territoriorum distinctio, qua usus fuit CAROLVS OTTO RECHENBERG & *Illustris CHRISTOPH. IO. de MVNCHHAVSEN* in *Dissert. de Successionibus in Serenissima Domo Guelfica usiatis*, Lipsiæ 1735. *Cap. I. §. 4.* Distinguuntur sc. ibidem *territoria* in *simplicia & Composita*. *Simplicia* vocantur: quæ, sive feuda sint, sive allodia, in se subsistant, proprio regimine ac peculiari jure utantur, nec alii statui admisceantur. *Composita* vero, quæ sive feuda sint, sive allodia, aliis feudis, aut allodiis accedentibus augeantur; ut singulas has accessiones principali ditioni, dein vel temporaria, vel perpetua unione, quasi incorporatas dicas.
- b) Quas determinationes & inde sequentes distinctiones §. II. seqq. usque ad §. X. illustrabimus.